MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80753-5

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:
WILAMOWITZ-
MOELLENDORFF,
ULRICH VON

TITLE:
UDALRICI . . .

PLACE:
GOTTINGAE

DATE:
[1893]

Master Negative #

92-80753-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



880.121
W64 Wilamowitz-Moellendorff, Ulrich von, 1848-1931.
... Udalrici de Wilamowitz-Moellendorff De tragicorvm Graecorvm fragmentis commentatio. Gottingae, officina academica Dieterichiana typis expressit, [1893]
33 p. 26½ cm.

At head of title: Index scholarum... in Academia Georgia Augusta...1893.habendarum...

71673

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: _____ INITIALS MM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De tragicorum Graecorum

880.121 W64 Q

Columbia University
in the City of New York
Library

BOUGHT FROM
THE
Henry Drisler
Classical Fund
1895

7056
150.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

A. D. XV. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI A.
MDCCCLXXXXIII

HABENDARUM.

PRAEMISSA EST

UDALRICI DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

DE TRAGICORVM GRAECORVM FRAGMENTIS

COMMENTATIO.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

WILH. FR. KAESTNER.

COLUMBIA
UNIVERSITY
LIBRARY

JUN 22 1899

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

FRIDERICUS MERKEL

CUM SENATU.

Plutarchus in Erotico (3) Daphnaeum inducit graviter ferentem quod Protogenes Tarsensis puerilis amoris partes descrere videatur, *εἰ καὶ Πρωτογένης Ἔρωτι πολεμήσων πάρεστιν, ᾧ παιδιὰ πᾶσα καὶ σπουδὴ περὶ Ἔρωτα καὶ δι' Ἔρωτος, λήθη δὲ λόγων, λήθη δὲ πάτρας, οὐχ ὡς ὁ Λάιος πέντε μόνον ἡμερῶν ἀπέχοντι τῆς πατρίδος.* ita fere haec scripta esse in duobus quae sola supersunt eiusdem codicis apographis testatur Trevius. quae apographa diligenter facta esse, codicem vero pessime habitum fuisse constat. quamquam in his nihil est quin ferri possit. corrumpunt editores demum, qui discissa sententiarum coniunctione *λήθη μὲν λόγων* edere pergunt, quasi oblivio patriae appositio esset ad ioca et seria addita. paululum haeremus in *λόγων*: qui nude positi aegre intelleguntur, sive suorum sive aliorum Protogenes oblitus est dictorum. sed quoniam Plutarchus non suis sed poetae cuiusdam verbis utitur, postulandum non est, ut omnia Protogeni quoque conveniant, quae fortasse in Laio aptissima fuerunt. poterat idem particulam *δέ* ipse addere, ut verba aliena suis insereret, sed integri anapaesti nulla mutatione opus fuisse testantur.

Cum hoc Erotici loco olim Wyttenbachius composuit quae in quarto de profectibus in virtute libelli capite legebantur, nunc enim propter falsam criticorum in aestimandis codicibus opinionem penitus oblitterata sunt. quod ut probe intellegatur, opus est quae Plutarchus disputando efficere voluit enarrare. qui pro more suo (quo de more copiosius aliquando disserere in animo est) per comparationes omnibus scribendi artificiis ornatas procedit, ita ut suavi imaginum copia delectati saepe vix sentiamus, quo philosophi nos ferat argumentatio. „profecisse se sciat in virtute

268702

qui post intermissum aliquantisper studium graviore eiusdem se ardere sentit desiderio. contra malum signum est, cum ardorem sensim refrigescere animadvertit". hoc imagine illustratur ab aristis crescentibus sumpta, quam non persequar; incohatam esse a Platone docte monuit Wyttenbachius. deinde homini, cuius ardor interiectis negotiis extinguitur, vere inflammatus opponitur. „huic, cum vere profuerit philosophia, pennae crescunt, fertur et proculcat omnia obstacula vi et cupidine perfectionis". *τῷ δ' αὖτε πτερὰ γίνετο δι' ὠφέλειαν, φερομένῳ καὶ διακόπτοντι τὰς προφάσεις ὥσπερ ὄχλον ἐμποδὼν ὄντα ῥώμῃ καὶ προθυμίᾳ τῆς ἀνύσεως.* immiscuit Homericum versum (*T* 386) Plutarchus, qui est de Achille divinis armis primum induto. atque Homerus quidem arma illa cum pennis comparavit: philosophus Platonicus nihil poterat dicere nisi pennas nasci animae per cupidinem philosophiae. neque enim ignorabat Phaedrum Platonis, neque omnino habebat quod cum pennis compararet. tamen corrupit Plutarchea Hercherus scripsitque *τῷ δ' εὖτε πτερὰ γίνετο*, credo, nulla alia de causa nisi quia in Homero suo hoc reperiebat. at in scholiis reperisset *εὖτε* coniecisse Aristarchum, quem postea ipsum coniecturae paenituit, ita ut rediret ad lectionem editionum oppidanarum, quae neque postea neque hodie a bonis libris aliena est, *αὖτε*. hanc igitur etiam Plutarchus in Homero suo legit, fatendumque est particulam graviter adversativam tam aptam esse Plutarcheo loco quam falsa est in Homerico. quem qui composuit rhapsodus utrum in *ηὖτε* (*εὖτε*) an in *αὖτε* contraxerit antiquum *ἠύτε*, nunc non quaero; at quam perniciosum sit veteribus scriptoribus hodie vulgatas Homeri lectiones obtrudere Hercheri error egregie docet. verum ad Plutarchum redeundum est. qui Platonica magis quam Homerica pennarum imagine adducitur ut iam ab amantium perturbationibus novam sumat comparationem. „sicut gliscentis amoris signum non in gaudio cernitur, quod praesentia pulcri excitat (hoc enim commune omnibus), sed in dolore ac desiderio absentis, ita multi philosophiae doctrina excitantur et in studia strenue incumbunt, sed cum a scholae otio ad negotia transierint, excidit ille affectus, neque graviter hoc ferunt; *ὅτῳ δ' ἔρωτος δῆγμα παιδικὸν προσῇ*, fortasse lentus et placidus videbitur inter condiscipulos, ubi vero divulsus est a studiis amatis, exardescit et irascitur omnibus negotiis et cupidine philosophiae agitur". apparet agendum fuisse Plutarcho in posteriore periodi parte de solo philosophiae amante, neque amplius immiscendum fuisse amorem pulcri corporis. igitur pro versu Sophocleo, quem excripsi, dicendum erat *ὅτῳ δὲ γενναῖος φιλοσοφίας ἔρως ἔνεστι*; sed pellexit Plutarchum pulcri versus amor, quem

spero ei condonatum iri. extat autem ille versus qualem dedi in antiquis tantum editionibus, apud Xylandrum et Wyttenbachium, non amplius apud Hercherum aut Nauckium (fgm. 757). at quod hoc loco aliquot vel plerique libri *παιδικῶν* habent, omnes fortasse *προσῆν*, altero autem loco (Symp. qu. I 2, 6) *ὅσοις ἔρωτος δῆγμα πρόσεστιν* traditum est, nihil plane officit veritati lectionis inde ab Aldina vulgatae. durior enim duplex genetivus, et *δῆγμα παιδικὸν ἔρωτος* morsum puerilis amoris per attractionem poetico sermoni familiarem significat, quam post alios in Hercule Euripidis saepius explicavi, neglegebat qui *ἔρωτος παιδικοῦ* conciebat Valckenarius, ut saepe peccari solet. coniunctivus autem post relativum sine *ἄν* particula cum tragoediae tum maxime Sophocli convenit, quo propter suae orationis formam in Symposiacis quidem abstinebat Plutarchus necessario, hic vero eidem se elegantissime applicavit.

Exposui haec propterea quia utile est palam fieri quod me diutinus usus didicit, ne in optime quidem traditis viginti Ethicis Plutarchi dissertationibus solidis fundamentis nos inniti et verba dare legentibus adnotationis brevitatem, quam a librario sibi obtrusam esse Hercherus ipse querebatur. quod etiam magis apparebit in ultimis huius periodi verbis, quorum gratia tam longe evagatus sum. *θεῶ φλεγόμενον καὶ ἀδημονοῦντα καὶ δυσκολαίνοντα πᾶσι πράγμασι καὶ ἀσχολίαις, μνήμη δὲ φίλων ὥσπερ ἄλογος ἐλαύνεται πόθῳ τῷ πρὸς φιλοσοφίαν.* sic Hercherus. at quid hoc est? homo philosophiae cupidus fertur desiderio philosophiae: probum hoc; sed simul fertur recordatione amicorum? qui tandem isti sunt amici? ecquos habet praeter philosophiam? amici autem cum amoribus, *φίλοι* cum *παιδικοῖς*, nunquam, nunquan aio, confunduntur. plane stulta est ista memoria amicorum. at usque ad Hercherum, quem nescio cuius, fortasse Lipsiensis, libri superstitio decepit, legebatur *λήθῃ δὲ φίλων*. hoc intellegitur: oblitus suorum, qui ad negotia a philosophandi studio eum sevocaverant, cupidine fertur amorum suorum, philosophiae. magistrum Byzantinum errasse non miramur: at Hercherus saltem per poeticam vocem *λήθη* et per duplicem dativum perspicere debebat, Plutarchum non suis tantum verbis loqui, sed rursus admiscere aliena. quid quod Wyttenbachius adscripserat, videri hoc Euripideum, quale in Amatorio *λήθη μὲν λόγων, λήθη δὲ πάτρας*. accedit autem alterum. *ὥσπερ ἄλογος ἐλαύνεται*: quid? quasi ratione cassus fertur ad philosophiam? qui comparationibus tanto opere delectatur, tam scite advocatis poetarum exemplis abundat, hoc ipso loco aliena verba, de amante dicta (ut supra Sophoclea) admiscet, is et ab

his et a suis et ab omni nitore abhorrens istuc ὥσπερ ἄλογος dedisse credi potest? apage ambages: ὥσπερ ὁ Λάιος scripsit. in propatulo est eundem versum utroque loco respici. quodsi in altero legimus λήθη δὲ φίλων, in altero λήθη δὲ λόγων, λήθη δὲ πάτρας, utrum dativi an nominativi ab ipso poeta scripti sint, diiudicari non iam potest, ad suam enim orationem alterum utrum immutare debebat Plutarchus. poterat idem memoria falsus φίλων et λόγων confundere. atqui λόγων importunum esse in ipso Erotico cognovimus. itaque utrum Euripides dederit, nemo potest ambigere; ego ne Plutarchum quidem λόγων scripsisse credo.

Ante plus viginti annos coniecturam modo propositam cum Hauptio communicavi laetusque fui laudari me a laudato viro; sed mox eam abieci, eversum esse ratus recensionis fundamentum editione Hercheri. nunc haud pauci rursus sunt anni, ex quo in Plutarcho meis oculis rectius videre didici. sed ut investigarem, num reduci posset abdicata coniectura, Bethii mei effecit Oedipodia: nam huius quidem carminis umbram felicissime ab inferis ille resuscitavit, monuitque ipse, Euripidem in Chrysippo nonnulla ex Oedipodia sumpsisse (Theban. Heldenlieder 13).

Ex hac tragoedia repetitum esse versum, quo Laius dicitur propter amorem pueri suorum et patriae oblitus esse, intellexit Musgravius. nec tamen affirmaverim Plutarchi memoriae inhaesisse versiculum ex ipsius tragoediae lectione. adfert quidem in libello qui est de virtute morali 6 duo adeo eiusdem fragmenta (840. 41), sed haec stoicae cuidam disputationi deberi e libelli illius indole concluderemus, etiam si non redirent in excerptis manifesto stoicis apud Albinum Platonicum et Clementem Alexandrinum et in Eclogis ethicis Ioannis Stobaei. certe qui locos a Nauckio significatos eovolverit, eandem stoicam, paene dixerim Chrysippeam, doctrinam subesse non negabit. memorabile autem quod Euripidis nomen a nullo adscribitur, sed et Albinus et Clemens Laium nominant, haud secus atque in Plutarcho animadvertimus. crederes Chrysippum nominis sui puduisse. sumptum est alterum distichon ex oratione Laii crimen perditi amoris defendente, alterum vero (841) apparet distichon esse chori, qualia in tragoediis longas personarum orationes excipere solent. fuit igitur stoicus magni nominis qui libenter Laio Euripideo tamquam exemplo libidinis omni ratione fortioris uteretur. et idoneum hercle exemplum erat, cum propterea quia contra naturae legem maxime et primus deliquit Laius, tum quia Euripides eum omni sophistarum arte summaque audacia crimen faciebat depellentem. eo enim processit ut legem, quae marem a mare arcet, tamquam vanam et

consuetudine et arbitrio hominum fictam, tamquam νόμον opponeret libidini suae, quam sibi innatam natura esse. qui fgm. 840 quidem tantum idem dicit atque Medea illis a Chrysippo totiens decantatis (ab Albino cum fgm. 841, a Clemente cum fgm. 840 simul allatis) μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά, θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων. sed quod addit, ἡ φύσις βιάζεται, eo nos deducit, ut dum naturae obtemperat, legem tantum a se violari velit. quare, licet hoc neque demonstrare possim neque cuiquam persuadere velim, adsuevi nobissimum illud ἡ φύσις ἐβούλεθ' ἧ νόμων οὐδὲν μέλει (920) ad Laium revocare. Laii impotentem amorem anapaestis descriptum fuisse vidimus. item ex anapaestis constat splendida ecloga (839), item per philosophos, stoicos maxime sed non solos stoicos, servata, postquam tertio iam a. Chr. saeculo excerpta est. ne tragoediae quidem nomen plerique norant qui ecloga utebantur, neque nos nossemus, nisi adscripsisset antiquus ille Clementis in sexto Stromateon auctor, quem Aristobulum esse non temere credimus. his igitur anapaestis duo physiologiae Euripideae elementa, terra et aether, celebrantur. quodcumque interire dicatur, id solvi tantum et forma mutata ad elementum suum redire. θνήσκει δ' οὐδὲν τῶν γιγνομένων, διακρινόμενον δ' ἄλλο πρὸς ἄλλου μορφὴν ἑτέραν ἀπέδειξεν. qui versus inter documenta Anaxagoreae doctrinae adferuntur, cui Euripidem se dedisse perperam opinabantur; revera enim praeter mixtionem et aeternitatem elementorum nihil cum eo commune habet: duo autem elementa, terra et aether, ab illo maxime aliena sunt. iuvat apponere locum plane similem, qui quod in dies magis mihi persuadeo confirmat, Euripidem in plerisque idem sensisse atque Heracliti adseclas aequales, e quibus Cratylum solum nominare possumus, civem Atheniensem eundemque philosophiae doctorem, quod genus tunc temporis rarissimum erat. leguntur in Hippocrateorum de victu librorum primo cap. 4 haec ἀπόλλυται μὲν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων οὐδὲ γίνεται ὅ τι μὴ καὶ πρόσθεν ἦν· ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διακρινόμενα ἀλλοιοῦται. νομίζεται δὲ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις τὸ μὲν ἐξ ἅδου ἐς φάος αὐξηθὲν γενέσθαι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ φάεος εἰς ἅδην μειωθὲν ἀπολέσθαι. ὀφθαλμοῖσι δὲ οὐ δεῖ πιστεύεσθαι μᾶλλον ἢ γνώμῃσιν, ἐγὼ δὲ τάδε γνώμῃ ἐξηγέομαι· ξῶα γὰρ κἀκεῖνα καὶ τάδε — — — γενέσθαι καὶ ἀπολέσθαι τωὐτό, ξυμμιγῆναι καὶ διακριθῆναι τωὐτό, ἕκαστον πρὸς πάντα καὶ πάντα πρὸς ἕκαστον τωὐτό, ὁ νόμος γὰρ τῇ φύσει περὶ τούτων ἐναντίος, χωρὶς δὲ πάντα καὶ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα ἄνω καὶ κάτω ἀμειβόμενα, quae cum e ratione non liceret, ex arbitrio scripsi, ut intellegi possent. ecce eadem ratio quae apud Euripidem, nisi quod elementorum par non idem est: hic enim

sophista pro aethere aquam terrae opponit. Heracliteum eum fuisse constat. maxime autem iuvat, quod naturam legi vel consuetudini pariter opponit ac Laius Euripideus. unde confirmatur aeternam naturae legem in Chrysippo celebratam esse, sane mira occasione, nimirum cum ad naturam provocaret (ut postea facturus erat Diogenes canis) is qui plerisque atque ipsi Euripidi contra naturam peccare videbatur. itaque satis defenditur Clementis vel Aristobuli auctoritas ab opinatione Nauckii, qui parum feliciter hoc testimonium infringebat, ut anapaestos in Antiopam transferret: at hercle neque Amphionis, primi citharoedi, cantui anapaesti conveniunt numeri, cum heroos requiramus, et certa plane ratione demonstravi Amphionem cecinisse *Αἰθέρα καὶ γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω* (1023).

Unius scaenae et cantici cum ea coniuncti perlustravimus reliquias. habemus *ἀγῶνα λόγων*, personas Laium et adversarium adstante choro. scaena autem Pisis est, siquidem quinque dierum iter a patria Laium abesse dicit Plutarchus. ibi cum peregrinus homo chorum sibi faventem secum habere vix possit, ac ne familiares quidem, quibus confidant primarum partium actores, ante novam comoediam in scaena Attica frequentes sint, probabile est, post raptum et a patre recuperatum Chrysippum haec a Laio disputari, nimirum contra Pelopem. liberatum esse Chrysippum a raptore omnes, uti par erat, narrabant, qui a vulgari fama non desciscebant, qua nymphae filius a fratribus Hippodamiae filiis interfectus esse tradebatur. in Oedipodea vero Thebas deductus propter ignominiam a nullo defensam ipse se interemit Chrysippus. quaeritur iam quo modo ad finem Euripides tragoediam deduxerit. qua in causa nihil proficimus reliquis fragmentis, una voce apud Hesychium servata, duobus distichis apud Stobaeum, e quibus alterum servi est qui dominum communi humanae fortunae inconstantia consolatur (843), alterum hominis qui mavult deformitatem corporis cum valida manu et acie mentis quam inanem pulcritudinem (842). quae etsi conveniunt Chrysippi personae, tamen forma orationis (*δύσμορφος εἶην μᾶλλον*) loquentis personam minime definit; cf. quae ad Hipp. 638 adscripsi et nullo negotio augere possem. nec tamen desperandum est. Aelianus enim Nat. An. 6, 15 notam de delphino cum amato puero commoriente fabellam his concludit *Δάιος δ' ἐπὶ Χρυσίππῳ, ὦ καλὲ Εὐριπίδη, τοῦτο οὐκ ἔδρασεν.* ergo mortuo Chrysippo superstes fuit Laius Euripidis. quem cum reducem sibi mortem conscivisse nec traditum sit nec probabile, alia circumspicienda sunt. mythographi silent: non obscuravit hac tragoedia vulgarem famam Euripides. quod vero ipsum tragoediae

argumentum legimus fraudi debemus falsarii qui Plutarcho Parallela minora supposuit. video hoc perspexisse Hartungum, qui quaecumque recte sensit nec demonstrare solet et tot ineptiis obruit, ut iure neglegatur. post Hercherum omnes scire debebant (multi turpe ignorant), libelli istius nos tantum possidere epitomam, integra autem aliquot capita in Stobaei florilegio, conficta esse testimonia omnia, aut siqua vera legantur (ut Eratosthenis Erigona, Euripidis Hecuba), esse ea contra mentem scriptoris a doctioribus interpolata. falsarium autem rem simplicissime ita fere instituisse, ut in singulis fabularum bigis alteram, sive Graecam sive Romanam, alicunde sumeret, adfingeret testem, alteram una cum teste ipse comminisceretur. hic igitur Plutarchus cap. 33 narrat Pelopi praeter Atreum et Thyestem Hippodamiae filios e nympha fuisse natum Chrysippum. quem a Laio raptum liberatum esse a fratribus. ac Laio quidem ignovisse scelus Pelopem amoris gratia, Hippodamiam vero, cum filiis suis persuadere non potuisset, ut aemulum regni paterni futurum de medio tollerent, ipsam gladio Laii Chrysippum trucidasse. atque iam in eo fuisse, ut Laius caedis condemnaretur, cum Chrysippus moribundus verum patefaceret. itaque Hippodamiam in exilium missam esse (ultima verba ab epitomatore tam male mulcata sunt, ut Laius Chrysippum sepelivisse, Hippodamiam in exilium misisse videatur: quod Pelopis fuisse consentaneum est). sumpta haec esse e compendio mythographico fidem faciunt nomina parentum Pelopis et Chrysippi, quae ad rem non faciunt. agnosco autem paene in omnibus Euripidis artem. nihil a tragoedia abhorret, nisi quod noctu Chrysippus dicitur interfectus esse. quod ut in historia probabile facile poterat novari, sed noverca etiam ludentem occidere puerum aut puer interdiu somnum capere poterat. imprimis Euripideum quod in prima tragoediae parte de rapto Chrysippo ac puniendo raptore agitur, qua re confecta quasi iterum adsurgit tragoedia, ita vero ut qui salvus esse videbatur intereat, qui nimii amoris causam defendebat caedis in amoribus perpetratae reus fiat. deinde et novit vulgarem famam, qua fratres Chrysippum interfecisse dicuntur, et callide declinavit hic scriptor. postremo novercae odium fortasse non militat pro Euripide: at quod Hippodamiae dolus ac scelus in tragoedia spectatur, quam antecessit Oenomaus, in qua tragoedia eadem certe patri, fortasse et Myrtilo mortem dolis paraverat, mihi quidem magni videtur momenti.

Arbitror explanatum esse Chrysippi argumentum. quod quomodo composuerit Euripides, non minus dilucidum est. sumpsit ex Oedipodia amorem Laii, qui a fabula Peloponnesiaca omnino erat

alienus. quo poetae animum maxime allectum fuisse eo libentius credimus, quo magis sophistam se praestitit in hac tragoediae parte. tamen noluit Oedipodiam in eo quoque sequi, ut e crimine Laii infortunium Labdacidarum repeteret: nihil enim hac de re in Phoenissis, neque dirae quibus a Pelope devotum esse Laium eiusque prolem mythographi tradunt, ab Euripide sumptae sunt[1]). qui mortem Chrysippi invidiis suorum paratam a Peloponnesiis sumpsit quidem, sed sua arte ita immutavit, ut cum Laii rebus coniungeretur.

Iam ultra etiam tendo et in ipsam Chrysippi fabulam inquiro. qui puer in fabula Argivorum et Megarensium (testes, inter quos Hellanicus Thucydides alii graves auctores sunt, in quovis prostant compendio) nihil agit nisi ut morte sua in exilium mittat fratres, Atreum aut Alcathoum. ergo fabula ideo tantum est excogitata, ut Pisis, ubi regnabat Pelops, regiam stirpem Mycenas aut Megaram transferret. atqui Pelopem Olympiae recentissimum esse una cum Oenomao et Hippodamia (quae nomen a victoria equestri accepit, per quam nupsit) non multo ante fastigii Olympiaci ornamenta et Pindari nobile carmen advectum demonstrare possum et in scholis demonstravi certissime. recens ergo hic Chrysippus, fictus nimirum una cum scelere et exilio fratrum ad exemplum Phoci a Peleo et Telamone necati. quo antiquiorem utique habemus Chrysippum Pelopis f. quem Laius Thebas rapit ac domi tenet, donec generosus puer sua manu se ab ignominia vindicat. Oedipodiae auctor nihil curat parentes Chrysippi. cum quovis enim puero concumbere poterat Laius, ut Iunonis iram excitaret. at pro more epico nomen et genus puero dari debebat. dixeris fictum esse Chrysippum Pelopis f. ab illo poeta. quod si ita esset, ex Oedipodia Chrysippum fabula Peloponnesiaca arcessivisset, ut ab Atreo et Thyesta interficeretur. non nego hoc fieri potuisse, factum esse nego. video enim Pindarum, ut a deis et a Tantalo arceat fabulam, qua Pelops a patre necatus et coctus deis in epulis dicitur esse propositus, fingere (finxit enim ipse) Pelopem a Neptuno propter amorem esse raptum. quod Thebano vati neque a deorum

1) Non recte fecit Bethius, quod has diras Oedipodiae inseruit, in cuius argumento Pisandreo non leguntur. nam quod ait contineri eis totam Laii fabulam et diris manifesto perire Laii stirpem, neglexit quod ipse rectissime docuit, Iunonis numen puerili amore laesum Laium persequi et contemptorem matrimonii per filium castigare. omnino dei potius quam hominum dirae humanas res in epica poesi regunt, a qua etiam oracula plerumque afuisse credo. Bethius autem subinde nimis tragica reddidisse mihi videtur carmina sua.

sanctitate neque ab herois quem celebrat castitate abhorrere videbatur. quem raptum a filio Chrysippo ad patrem translatum esse homines harum rerum intellegentes mihi concessuros esse spero, cum aut meminerint aut a me didicerint, non a Laio primitus sed a Iove raptum esse Chrysippum. tradidit hoc Praxilla Sicyonia apud Athenaeum XIII 603, idemque in Hygini exemplari Graeco lectum esse olim demonstravi, Comment. gramm. II 13. Sicyonia autem permulta sunt cum in ceteris carminibus Thebanas res complexis tum in Oedipodia. accedit aliud. e ludis Nemeaeis Chrysippum a Laio rapi tradit Hyginus (85), doctum esse currum agitare Apollodorus, Laium cum Chrysippo curru vectum pingebant caelabantque. quae composuit Bethius (p. 13); addo etiam in Strattidis comici Chrysippo (Poll. X 55) doceri aliquem equis uti. Nemea autem Iovi sacra est, Nemeae Iovi ludi agebantur procul dubio diu antequam sexto saeculo restituti sunt. quid enim ludi septem ducum Nemeaei aliud quam imago ludorum tunc temporis habitorum, cum Thebais Sicyonia conderetur? simplicissima igitur et cum certo delubro coniuncta fabula ea est, ut pulcherrimus puer, filius regis, qui aut genti aut certe terrae nomen dedit (*Πελόπων νῆσον* esse *Πέλοπος νῆσον* primus vidit magnus Buttmannus), a Iove, deo tutore illius delubri, in caelum evectus sit; qui puer ab aureo Iovis curru, quo raptus est, nomen accepit. alterum cernimus Ganymedem. qui hac fabula delectabantur, puerili amori tamquam legitimo indulserant, quem a semibarbaris Dorensibus Graecos antiquiores, proavos Ionum et Aeolensium, accepisse constat; ut floruisse scimus istam libidinem apud Gallorum et Germanorum multas tribus. scite autem Bethius perspexit Oedipodiae auctorem casta ira percitum Iunonis Plataeensis sacra ab hoc invisorum dominorum flagitio defendere voluisse. qui plecti quidem vult Thebanos potissimum, quorum rudes libidines Plato castigat, sed nihil fecit audacius, quam quod Iovis Nemeaei amasium a Laio raptum induxit. quippe hoc scelus a deo alienum ratus ad incestum hominem pie transtulit. eadem pietate facere sibi videbatur Pindarus Thebanus, cum Chrysippi patrem a Neptuno amari et rapi mallet, quam dilaniatum a patre ab invita Cerere gustari. qui per stirpem Tantali antiquissimas Peloponnesi fabulas discribebant, propter Pelopis nomen etiam Chrysippum respicere debebant; quem cum inter Hippodamiae prolem aut inter reges urbium non invenirent, raptum a Iove esse non amplius crederent, recipiebant ita ut simul tollerent, simulque ad exemplar Aegineticae de Phoco fabellae haberent, quo Pelopis filios in multas et diversas urbes deducerent. —

Utinam de Alcmaeone tantum sciremus quantum de Chrysippo. qua de tragoedia nunc agam, ut ignorari argumentum doceam, sicut sine Parallelis Plutarcheis ignoraretur Chrysippus. Corinthii quidem Alcmaeonis summam in bibliotheca Apollodorea legi consentiunt. Alcmaeonem filium Amphilochum filiamque Tisiphonam quas e Manto susceperat tradidisse Creonti Corinthio. Tisiphonam ab uxore Creontis venditam serviisse patri ignotam. Amphilochum recuperatum tandem a patre Corinthum reverso Argos in Epiro condidisse. in his consentaneum est plurima esse omissa, maxime ea in quibus tragoedia ipsa versabatur: ignoramus quo modo Amphilochus patri redditus sit, ignoramus filiae *ἀναγνωρισμόν*. quod vero hic Amphilochus Argorum fertur conditor, fidem facit non omnia novasse Euripidem, sed Corinthiis placuisse aliquo modo etiam Argorum inter Amphilochos urbem sibi vindicare per Alcmaeonis filium Corinthi nutritum, cum Alcmaeoni Acarnaniae colonias Corinthias antea vindicassent. nullum praeterea huius fabulae suppetit testimonium. nam quod Clemens in vatum catalogo Tiresiam et Manto Euripide auctore nominat (str. 399), cum Phoenissas, notissimam tragoediam, spectare posset, non debebat ad ignotissimam hanc revocari. versus tragoediae per Stobaeum et grammaticos pauci servati sunt. per quos edocemur chorum e mulieribus Corinthiis constitisse (74); accedit 1084 *ἥκων περίκλυστον προλιποῦσ' Ἀκροκόρινθον, ἱερὸν ὄχθον, πόλιν Ἀφροδίτας*, siquidem Corinthi nulla praeter hanc tragoediam et Medeam scaenam habuit. quod fragmentum propter numeros perquam memorabile est: constat enim ex ionicis a maiore, quorum quattuor puri sunt, in uno altera e longis syllabis soluta, ultimus anaclasi in ditrochaeum mutatus. ex fgm. 75. 76 recte collegit Welckerus Amphilochum antequam vero patri redderetur habitum esse Creontis filium. vix quidquam iuvat fgm. 84, quod huius tragoediae esse propterea probabile est, quia filius filiave ad patrem infelicem de officio liberorum verba facit. servi testimonio (85. 86) et haec et propter nuntiorum graves partes pleraeque omnes tragoediae uti poterant. at Corinthii certo est Alcmaeonis fgm. 87, si omnino Alcmaeonis est, quandoquidem mulieres in eo compellantur, Psophidii enim chorus e virginibus constabat (66). quae mulieres iubentur ad spectaculum quamvis terribile accedere, quod et is qui verba facit et illae diligenter debeant contemplari, quia artem profiteantur (*ταῦτα γὰρ σκεθρῶς ὁρᾶν ἡμᾶς ἀνάγκη τοὺς νομίζοντας τέχνην*). quae verba nisi ad arbitrium immutantur, non video quo possim referre nisi ad artem obstetriciam. fac Lucinam clamaverit parturiens intra domum femina, ut in nova comoedia fieri

solet, tum anus aut nutrix aut medicus his versibus optime chorum compellabat. nam ne feminam quidem generis masculini pluralis excludit. at puerperium ab Alcmaeone utique alienum in una quantum scio tragoedia spectatum est (nam Auga et Danae videntur antequam inciperent tragoediae peperisse), Alcmena. quare nomen fabulae mutare non vereor, praesertim cum in Erotiani lexico legatur, quod per unius et corrupti libri apographa recentia servatum est.

Psophidio Alcmaeoni non audeo tribuere contra disertum testimonium fgm. 68, antequam demonstratum sit in Bellerophonte, cuius esse traditur, matricidam non potuisse induci. deinde magnis dubitationibus obnoxium est 67, quod utrius Alcmaeonis sit a Stobaeo non traditur: quid quod de paucis et ambiguis lemmatis litteris iure dubitatum est. in tragoedia iam cum Alcestide docta Euripides versum duabus tam male numerosis solutionibus deformatum non admisit, qualis quintus est in hac ecloga

ὁ φόβος, ὅταν τις σώματος μέλλῃ πέρι
λέγειν καταστὰς εἰς ἀγῶν' ἐναντίον,
τό τε στόμ' εἰς ἔκπληξιν ἀνθρώπων ἄγει
τὸν νοῦν τ' ἀπείργει μὴ λέγειν ἃ βούλεται.
τῷ μὲν γὰρ ἔνι κίνδυνος, ὃ δ' ἀθῷος μένει.
ὅμως δ' ἀγῶνα τόνδε δεῖ μ' ὑπεκδραμεῖν,
ψυχὴν γὰρ ἄθλα τιθεμένην ἐμὴν ὁρῶ.

itaque si genuinus ille versus est, fragmentum necessario eius Alcmaeonis est, quem una cum Aulidensi Iphigenia Euripides composuit. tum vero ne in ultimo quidem versu *τιθεμένην* cum Lobekio et Dobraeo in *κειμένην* muto, quod in Psophidio faciendum esse existimo. tamen eo inclino ut et hoc faciam et quartum versum eiciam. quem qui tenet non potest non cum Bergkio excerptorem omissorum aliquot versuum insimulare. at non solum bene se excipiunt, sed prooemium longae orationis iudicialis haec sapiunt "qui se a crimine capitali defendit, prae metu neque ore neque mente ita ut vult ac debet uti potest. tamen mihi hoc audendum est, cum videam de vita mea agi". cui damnato mors imminet, pariter *σώματος πέρι* et *ψυχῆς πέρι* causam dicit, inane igitur alterum mutare. et quod praedicata subiectis non videntur convenire in vs. 3 et 4, et perturbationem animi egregie ostendit et dictum est eo artificio quod explicavi Hercul. II 220. at in sexto versu quam desideramus sententia non inest, neque probabili ratione inventum quod ad sententiam apte excogitavit Bergkius *δεῖ μ' ἤδη δραμεῖν*. quae cum ita sint, tam multis nominibus ambiguam eclogam ad cetera explicanda advocare nolo. sed defendisse se

a crimine parricidii Alcmaeonem certo testantur fgm. 69. 70, non sine gravi Apollinis accusatione, qua solet delectari Euripides vaticiniorum osor: nam ὃς *Οἰδίπουν ἀπώλεσε* quis est nisi Phoebus? constat deinde Alcmaeonem a sene Phegeo in matrimonium petisse filiam (72), constat in choro fuisse virgines illius aequales (65. 66). denique ipsam matrem appellat Alcmaeo (71 *αἷμα γὰρ / σὸν μῆτερ, αἷμ' ἐνίψατο.* certo enim emendavi quod traditur *μήτηρ ἀπενίψατο* et explicatur *καθάρσει τινὶ τὸν τῆς μητροκτονίας ἀπενίψατο μολυσμόν.* haud secus igitur atque Orestes matris umbra territus est Alcmaeo furibundus. cuius habitum Tatianus 24, cynico auctore usus, describit, cuius verba dexterius quam ego feceram tractata excerpsit Nauckius. eiusdem scaenae ab Ennio expressae gravia aliquot supersunt fragmenta, in quibus rursus Apollinis ira commemoratur. et magni facio quod Euripidem videmus iuvenem in Alcmaeonis furore exhibendo tantam artem consumpsisse, ut Orestam nollet nisi in parva Orestae scaena et in nuntio Iphigeniae furentem facere. Orestae furia *σύνεσις* est, conscientia. furiarum turbam sibi imminentem describit Alcmaeo Ennianus, quas ipse videbat, non spectatores aut is quem compellat *fer mihi opem.* tamen cum Furiam alicubi ipsam ab Euripide inductam esse constet per Servium (1022), cuius Latina Graece reddidi Herc. I 371, neque ulli praeterea tragoediae haec Furia videatur convenire, non inepte mihi videor conicere, Alcmaeonem a caede alicubi purgatum a Phegeo matrimonium filiae impetrasse, deinde cum iam salvus videretur, intervenisse Furiam, excitasse eius insaniam et, quod requirimus sed ignoramus, effecisse ut in exilium pelleretur. nam quominus vel mortuum tranquilla sede potitum esse putemus Alcmaeonem, prohibet titulus ὁ *διὰ Ψωφῖδος*, quo grammatici hanc tragoediam ab altera distinxerunt.

Fatale illud monile, quo corrupta erat Eriphyla, ipse Alcmaeo commemorat fgm. 70. eodem ornari vetatur aliquis 79, malum enim, *νόσον*, eo adferri. superest fragmentum unum, 78, e chori aeolica stropha

γυναῖκα καὶ ὠφελίαν
καὶ νόσον ἀνδρὶ φέρειν μεγίσταν
ἐδιδάξατ', ὦ μέλεοι

quod sic scribendum esse arbitror; traditum est in Escurialensi *ἐδιδάξατ' ἐμῷ λόγῳ*, in Parisino *ἐδίδαξα τῷ ἐμῳ λόγῳ.* quorum alterum, quod Nauckio placuit, propter crasin in cantico suspectam et propter perversam omnino primam personam ferri nequit. monodiae enim hi numeri non conveniunt. nec tamen *ἐδιδάξατ' ἐμῷ λόγῳ* "me iudice docuistis" mihi videtur Euripideum. sed hoc

utut est: chorus deplorat hominem cui mulier et salutem et malum, *νόσον*, attulit. Alcmaeo per Phegei filiam salutem accepit: per eandem periisse credendus est. quam cupidine fatalis monilis iram Apollinis excitasse, Furia interveniente insanivisse Alcmaeonem et tamquam sacrum dis manibus a Phegeo eiectum esse suspicor.

Ita quamvis incertis lineis adumbravi tragoediam, qualis certe ab Euripide scribi potuit. in plerisque autem ad Welckeri iudicium redii, quod nunc ab omnibus contemni videtur. mihi contra certissimum est omnia monstra facere, quicumque ad Euripidem refert fabulam a mythographis traditam, nequaquam in omnibus ac ne in nominibus quidem consentientibus, sed ut tamen summa rerum haec fere sit. venisse Alcmaeonem iam semel expiatum ad Phegeum, accepisse filiam eius, quae aut Alphesiboea (epico nomine, quod Sophocli in tragoedia molestias paravit) aut Arsinoe (Arcadico, quo et mater Aesculapii inter Arcades utitur) appellatur. sed cum denuo furere coepisset, eiectum esse Psophide Alcmaeonem relicto in uxoris manibus monili. apparet huc usque ne Euripidem quidem meum discrepare. Alcmaeonem post alios errores in Thesprotiam venisse, duxisse Callirrhoam Acheloi f., rediisse Psophidem, ut monile novae coniugi compararet, quod cum dolo eripere studuisset Alphesiboeae, iussu Phegei occissum esse. sed filios quos e Callirrhoa suscepisset quamvis impuberes ultos esse in filiis Phegei patris mortem, cum mater a Iove, pretium puto concubitus, impetrasset, ut per miraculum adolescerent. talia fere narravit mythographus ille, a quo pendent Apollodorea bibliotheca (III 7) Pausanias (VIII 24) Ovidius (Met. IX 410—18 Rem. Am. 455). Hygini, qui similia solet tradere, non iam extat narratio ipsa, sed inter eos *qui generos suos occiderunt* (245) est *Phegeus Alphei f. Alcmeonem Amphiarai f. idem et Eurypylum*; inter eos *qui cognatos suos occiderunt* (247) est *Phegeus Alphei f. Alphesiboeae filiae filiam.* consentaneum igitur est et alia multa de his personis narrata esse, quae nunc penitus ignorantur. aliam etiam fabulae formam Propertius novit (I 18, 14) *Alphesiboea suos ulta est pro coniuge fratres.* et fuisse Sophoclis tragoediam Alcmaeonem, Achaei et Accii Alphesiboeam pariter ignotas omnes minime obliviscendum est. at hercle longam illam fabulam, quae modo Psophide modo in Thesprotia et secundum Apollodorum, qui plurima tradit, aliis etiam in regionibus agitur, multas personas inducit, Iovem adulterum in uxore Alcmaeonis, teneros pueros subito adolescentes, alia multa mira, talem aio fabulam vix epico carmini totam, certe non veteri, convenire, nequaquam tragoediae. atque manifestum est longae huius fabulae auctorem sedulo curasse, ut et Psophide moveret Alcmaeonem et eodem eum

reducere, nempe quia constabat ibi eum mortuum et sepultum esse. unde meo iure mihi videor colligere, fuisse cum exul Argis et uxorem duceret et moreretur Psophide. quod tum demum mutatum est, cum Corinthiorum coloniae in Acarnaniam et Epirum hunc heroem deduxissent. quam Corinthiorum fabulam non solum Thucydides respexit, sed etiam Euripides, cum Psophide pulsum faciat Alcmaeonem, non mortuum. ceteroquin vero antiquam et simplici gravitate insignem famam sequi maluit. non despero fore ut aliquando etiam ab hac parte distinguantur carmina epica Thebanum bellum comprehendentia, sed in me deferbuit felix audacia, qua Bethius Homeri et restituere Thebana et destruere Troiana carmina conisus est. quod vero summi mihi videtur momenti, sepulcrum est Alcmaeonis, quod Psophide fuit ipsum quidem exile, sed ingentium cyparissorum luco insigne, quae tamquam nymphae (*παρθένοι*) colebantur. describit hoc Pausanias, qui in huius oppidi, quod dirutum plane visitarat, descriptione primum excerpsit librum de Arcadiae regibus scriptum, qui ei per totum librum octavum ad manus erat. aliam de eponymo urbis famam sequebatur periegeta, quem de Psophide consuluit: quod certum est, siquidem Veneris Erycinae templum quamvis dirutum repperit, sed conditorum sepulcra non iam superfuisse ipse fatetur. quae ne quaerere quidem poterat, nisi fuisse sciret. quamquam solito mendacio, vel potius ne iniuriam faciamus sophistae sophistarum morem secuto, solita Herodoti imitatione ad Psophidiorum sermones provocat. quos adeo sibi narrasse fingit quae de Aglao homine felicissimo dudum per philosophos vulgaria erant facta. dein compendio mythologico et *θαυμασίων συναγωγῇ*, solitis subsidiis, narrandorum inopiam haud inepte occultat. periegeta ille qui Psophidem cum Venere Erycina coniunxerat popularem quidem famam sed eam recentissimam tradidit, cuius vestigia in Stephani Byzantii Ethnicis (*Φηγία Ψωφίς*) comparent. sunt non pauca quae Arcadiam cum Sicilia per saecula V—III multo hominum commercio iunctam fuisse ostendant; quo tempore cum Veneris Erycinae templum conditum et mox maximum dirutaque saepius per saecula III—II urbe unicum factum esset, succrevit illa originatio. antiquiora praeter genealogias ab Arcadiae historicis traditas (quas simplicitate longe superat Hygini Phegeus, eponymus Phegiae, filius Alphei, ad quem tendunt aquosae Psophidis rivi) nulla habemus praeter Alcmaeonis illud fanum, quod quin reppererit Pausanias sicut descripserat periegeta antiquior, nullus dubito. quodsi Alcmaeo lucum sacrum Psophide habuit, fuit, opinor, numen Psophidium, quod ex illo angulo Arcadiae in lucem poeseos Graecae evocatum inter heroas receptum est, numen

non indignum familia sua, Amphiarao, Amphilocho, Melampode vatibus. sed ingens Homericae et deinde tragicae poeseos vis tanto opere Alcmaeonem immutavit, ut parricida fieret et fureret et penitus amitteret cum divinitatem tum adeo patriam, nisi quod propter sepulcri nobilitatem numquam a Psophide penitus poterat avelli. neque vaticinandi facultate semper eum caruisse obscura laude docet Pindarus (Pyth. 8). sed latius expatiari nolo. —

Cretensibus lucem attulerunt et monumentorum et ingenii ope Iahnius Koertius Robertus, ac miramur potius quam admiramur Euripidis audaciam qui cum Pasiphaae et Daedali rebus mystarum carne abstinentium religionem coniungebat, fortasse recte odoratus castimoniam istam saepe haud procul abesse a foedissimis libidinibus. quamquam et Sophocles in Polyido 366 Minoem induxit caste sacrificantem, unde certum fit, Cretensem visam esse Atheniensibus istam doctrinam. iis quae Robertus de hac parte Cretensium disputavit, haud spernendum accrescit subsidium ab eodem Porphyrio, cui Sophoclis fragmentum modo laudatum et splendidos Cretensium anapaestos debemus (in quibus utinam intellegerem v. 11). Porphyrius igitur cognata hominibus esse cetera animalia dicit *καὶ γὰρ τροφαὶ αἱ αὐταὶ πᾶσιν αὐτοῖς καὶ πνεύματα ὡς Εὐριπίδης καὶ „φοινίας ἔχει ῥοὰς τὰ ξῷα πάντα“, καὶ κοινοὺς ἁπάντων δείκνυσι* (scil. Euripides) *γονεῖς οὐρανὸν καὶ γῆν* (fgm. 1004). quae ad Cretenses referre non iam dubitabimus. contra recte obstitit Koertius Valckenarii suspicioni, qui ad parodum rettulit fgm. 912. quo Iuppiter invocatur qui idem et Orcus sit (e doctrina Heraclitea, *ζωὴ θάνατος ταὐτόν*), oblatis *ἀπύροις παγκαρπείας* sacris, ut emittat ex inferis animas indicaturas, quibus piaculis averti possint *ἄθλοι*. apparet eum qui hos versus recitabat (chorum fuisse minime constat) necyomantiam exercere, quod a Minoe et Iovis mystis alienum est. inferis autem neque Atossa Persarum neque Electra Choephoron cocti quidquam obfert. excitantur autem umbrae, ut indicent *ἐνθύματα*, quibus mala nunc eos pro quibus sacra fiunt opprimentia averruncentur. quae mala, publica, ut recte vidit Koertius, a Pasiphaa portentum enixa aliena sunt: propter natum enim Minotaurum mystas e fano Iovis Idaei arcessivit Minos. de istis malis quo certiores fiamus nihil suppetit, nisi quod quaeritur ibi *πόθεν ἄθλοι ἔβλαστον*. neque credo aliud *ἆθλους* posse velle quam certamina exanclanda. ergo verbi causa ab Oeneo propter aprum a Diana missum, a Creonte propter sphingem talia poterant sacra fieri. graviter fero quod ne quo possit quidem commode referri hoc fragmentum adhuc indagavi; at superesse ex iisdem anapaestis videtur fgm. 868 *θεοὶ χθόνιοι ζοφερὰν ἀδίανλον ἔχοντες ἕδραν*

φθιμένων Ἀχεροντίδα λίμνην. ad Cretenses post Iahnium recte rettulit Koertius fgm. 996 et 997, quae de forma Minotauri agunt. addo 988 τέκτων γὰρ ὧν ἔπρασσες οὐ ξυλουργικά, dictum manifesto in fabrum maleficum; in Cretensibus enim Daedalus auxilii quod vacca lignea extructa Pasiphaae libidini tulerat Minoi poenas dabat.

Busiridis satyricae certas reliquias paene nullas habemus, nec per se magni ducendum, quod servus inducebatur qui ingratam domino veritatem vereretur proloqui (312). sed huic optime convenit fgm. 907; describit enim nuntius barbarus Herculis, captivi puto, voracitatem et hilaritatem, qui epulatus sit ἅμουσ' ὑλακτῶν, ὥστε βαρβάρῳ μαθεῖν, i. e. cantans modis quos dissonos esse vel barbarus intellegat. qui Euripidis versum elegantem non intellegerent, multi fuerunt. praeterea certo ad Busirin rettuli olim Lamiae prologum 922: monstrum ridiculum, quod nunc e vasculorum picturis novimus, satyris tantum convenit, nec ulla praeterea fabula in Libya scaenam habuit. ex satyrica fabula, quae inhospitalem tyrannum iuducebat, Busirin aut Scironem, sumptum esse fgm. 869 (ὁ λῷστος οὗτος καὶ φιλοξενέστατος) usus superlativi λῷστος docet, de quo egi Herc. II 93. potest subinde ex usu vocabulorum definiri, utrum versus in satyris an in tragoedia locum habuerit. velut adesp. 418 recepit quidem inter tragica rectissime Nauckius, cum a comoedia omnino abhorreat: at σιτία ut pleraque deminutiva constanti omnium tragicorum usu respuitur, eadem in satyris admitti Cyclops docet, in qua leguntur χρυσίον ἀνθρώπιον κρανίον. vellem in adespotis Nauckius semper adnotasset, quod tantum virum minime fugisse puto, cum reciperet quinto saeculo recentiora. veluti 557 ἂν δοίησαν certo restituit, at praestabat recentiori poetae hos versus a Stobaeo traditos relinquere quam et hoc et alia Attica et elegantia per vim reddere. in fgm. ad. 489 recentem aut Ionicam formam διδοῦσιν pro διδόασιν notavit Cobetus: nec dixisset Atticus tragicus ἐπεὶ οὔ σφιν πονηρὸν ἐστι, quod dicendum erat ἐπεὶ οὐδὲν αὐτῶν ἅπτεται. 522 recens esse arguit φιλοσοφοῦντες, quo philosophiae adeo studium significatur. atque cum eodem εὐτέλεια commendetur, cynicae tragoediae tenemus fragmentum, qualia compluria iam cum alii tum O. Crusius verissime notaverant (284 546). cynicorum qui ἀρετὴν ἀσκοῦσι Herculis est nobile illud, quod Brutus exclamavit, cum moriendum sibi esse crederet ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ', ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ, de quo dixi Herc. I 336. hic qui non sensit cynicam disciplinam sed Euripidem adeo odoratus est, ostendit se in litteris antiquis nihil ultra Hamletum legisse: verba verba verba. quapropter etiam per con-

iecturas suas plerumque verba dedit. contra a Duemmlero dissentiendum est in aestimandis fgm. adesp. 392 et Cratetis fgm. 1. ille Hercules iactat: Ἀργεῖος ἢ Θηβαῖος· οὐ γὰρ εὔχομαι μιᾶς· ἅπας μοι πύργος Ἑλλήνων πατρίς. audimus τὸν κοινὸν τῶν Ἑλλήνων εὐεργέτην, qui non unius urbis aut gentis est, sed Graecus est. talem et Sophocles et Euripides fecerant. at Crateteus hunc παρῳδεῖ, nam cynicus κοσμοπολίτης est: οὐχ εἷς πάτρα μοι πύργος, οὐ μία στέγη, πάσης δὲ χέρσου καὶ πόλισμα καὶ δόμος ἕτοιμος ἡμῖν ἐνδιαιτᾶσθαι πάρα.

Sed in adespotis Nauckii tam multa insunt ab Attica tragoedia aut a tragoedia omnino aliena, ut operae pretium fecisse mihi videar breviter significatis quae in suspectis collocanda aut expellenda omnino censeam. nam qui triumvirum tragicorum gratia haec evolvit, perfacile in errorem inducitur, cum multis saeculis recentiores versus tamquam tragicos inveniat propositos. cuius vero interest, ut artis poeticae et litterarum historiam per saecula omnia persequatur, in tragicorum fragmentis abditas reliquias nimis facile praetervidet. me cum diversa studia modo hac modo illa via iussissent incedere, fortasse non dedecet in usum omnium edere quae per multos annos adnotavi. abstineo autem a comicorum parodiis; quod genus ut facile poteram et minuere exemptis quae iniuria ad certum tragici cuiusdam versum relata crederem et augere aliis, ita exigui plerumque pretii esse existimo.

Insunt quae soli casui versus speciem debeant, 12, 431, 459; cui casui subinde opus erat ferri critici auxilio, 17, 104. memorabile in hac classi 542: nam mirum hercle, si Antipho sophista tamquam alter Plutarchus tragicum florem coronae suae inserere voluisset. quid autem dicit? αὕτη ἡ ἡμέρα, αὕτη ἡ νὺξ „καινοῦ δαίμονος ἄρχει, καινοῦ πότμου", μέγας γὰρ ἀγὼν γάμος ἀνθρώπῳ. distinxi quos intempestiva numerorum observatio creavit anapaestos. poeticis sane vocibus cum ceteri tum hic sophista non abstinet, et ad tragoediam se applicuisse veterem Atheniensium eloquentiam exploratum est. at versus certos hic quaerere tam perversum est quam δίκη δὲ κυβερνήσειεν in Antiphontis Rhamnusii prima oratione ad epicum carmen revocare, quod alias exagitavi. contra desidero apud Nauckium multa, quae Antisthenes in Ulixe e tragoedia aliqua sumpsit. qui cum vidisset sophistas heroum personis abuti ita, ut Nestor et Palamedes orationes haberent foro attico convenientes, ab ipsis heroum moribus et rebus quam maxime alienas (veluti Gorgiae Palamedes multo minus Palamedem quam reipublicae principem perduellionis reum inducit et locos communes discipulis

rhetoris ediscendos proponit), ipse periculum fecit, num in Aiace et Ulixe praestare posset quod in Brasida et Cleone Thucydides temptaverat, *τὰ μάλιστα εἰκότα* ut faceret dicentes. quod cum faceret, necessario a tragoedia proficiscebatur, quam coram discipulis quasi emendaret. Antisthenem, Homeri interpretem et sophistarum discipulum, haec decent. Antisthenem Socraticum decet de vera fortitudine disputare et in ignorantia Aiacis veram causam quaerere, cur praemio indignus sit (13), eidem autem ignoscere quia *οὐδεὶς ἑκὼν ἀμαθής* (Ul. 5); quid quod ne gubernatores quidem et medici Socratis desunt (Ai. 4. Ul. 8), Antisthenem cynicum denique rusticitas verborum (*ἱεροσυλεῖν* Ai. 3, *κἂν κρεμάμενον κερδαίνειν* 5, *ἠλίθιος, ὃς ἄγριος* Ul. 6). praeterea fateor me omnino ei imagini valde diffidere quam nunc Antisthenis tamquam alterius Platonis depingunt (in quo iudicando Aristotelem potius sequor), maxime autem propterea quia unum quod eius manibus tenemus scriptum proscribendum est, cum tanto viro videatur indignum. atque spero fore cum vel eum paeniteat iudicii, qui nuper in falso Antisthene tragica recte persecutus est, quandoquidem adulescentem me similiter errasse mihi conscius sum. at *ὅπλων κρίσεως*, tragoediae a nescio quo Euripidis imitatore scriptae, umbram Antisthenis declamatio re vera conservavit.

Sublestae fidei sunt quae Dionysius Halicarnassensis in libro de compositione verborum proponit numerorum exempla, 136—144. in quibus quamquam insunt genuina, quae scilicet facilius erat describere quam fingere (ut exemplum purorum iamborum 138), tamen alia fraudis convicit Leo Herm. XXIV 288. eidem suspicioni obnoxia soloecismorum exempla falsi Herodiani (189, quod ne dicit quidem se de libro sumere, 190—197), 194 autem et 195, 192 et 197 alterum certe ex altero ficta.

Segreganda porro proverbia maximam partem a paroemiographis tradita aut a grammaticis hoc nomine laudata. quorum ut unus alterve versiculus e tragoedia olim in vulgi ora devenerit, neque probare hoc possumus, et in plerisque omni veri specie caret. atque in nonnullis quidem ipse Nauckius dubitavit, de plerisque recte iudicavit Crusius. ad hoc igitur genus refero 75, 94, 131—135, 385, 435—438, 440, 446, 576—578. est etiam ubi adeo *ἡ συνήθεια* versasse aut traditur aut probatur ea quae hic in tragicis prostant; alia in libris leguntur, quorum scriptores novos nobis eosdemque vere antiquos versus servasse vix credi potest; alia byzantinam fabricam sapiunt. his criminibus teneri arbitror 158, 182 (quod Gregorii est: nam ne eius sit, mutatur), 279, 429, 439, 441, 443, 457, 571, 572. etiam plures sunt sententiae morales, quas facilius est a tragoedia quam ab eis de quibus modo dixi generibus distinguere.

nam quo magis et mores et litterae depravabantur, eo crescebat inter Graecos moralium sententiarum amor. has iam pueris legere discentibus praescribebent (supersunt tales tabellae complures, quorum versiculos Nauckius sprevit, qui e lapide uno consimiles recepit 120, eodem iure plura recipere poterat), has ferebat sermo cottidianus librique vulgo destinati, vita Aesopi vel Pseudocallisthenes, has tandem colligebant qui Menandri Philistionisque nomina clara praetendebant. inerant in his quoque vetera pauca, sed multifariam usu trita et corrupta, multo plura succrescebant nova. quae omnia haud secus quam apophthegmata prorsus iniqua trutina pendit qui aut tamquam vetera in verae Graeciae relliquiis habet, aut quia ab illa sane aliena sunt, prorsus contemnit. suae quidque aetatis documentum est, suae artis modulo aestimandum. ars nostra, si aes despiceret, a se ipsa deficeret: sed cum auro aes confundi non debet. exulent igitur e tragicorum fragmentis 28, 102, 119, 120, 167—173, 179, 180, 298—301, 308—321, 573, 574, 582, 583 (quibus addere statim liceat Euripidis 1040, de quo cf. W. Meyer *die athen. Spruchrede des Menander und Philistion* 68). ne 433 quidem antiquum est, quod Proclus tradit, *ὡς πάντα πράγματ' ἦν καλὰς ἀρχὰς λάβῃ καλῶς τελευτᾶν καὶ μεσοῦν φιλεῖ βροτοῖς*, aut 465 apud Simplicium et Olympiodorum *τολμῶ κατειπεῖν* (vel *γὰρ εἰπεῖν*) *μήποτ' οὐκ εἰσίν θεοί*. nam et *μεσοῦν* et *μήποτε* philosophos sapit.

At philosophorum Musa videtur omnino iusto magis a nobis neglegi. de cynicis iam dixi; Crantorem et Cleanthem versibus modo ad tragoediae modo ad comoediae normam compositis doctrinam suam inclusisse constat, et hic quidem vel dialogum *Θυμοῦ καὶ Λογισμοῦ* composuit. atqui si legerentur apud Plutarchum haec *ὡς ἔψομαί γ' ἕοκνος· ἢν δὲ μὴ θέλω, κακός γενόμενος οὐδὲν ἧσσον ἕψομαι*: credis non recepturum fuisse inter tragica Nauckium, nisi nomen Cleanthis traditum esset? quippe tertio saeculo viri eruditi artem tragicam absolute imitari valebant, itaque id quidem postulari non potest, ut nos ea quae ipse Cleanthes composuit a multis veterum versibus distinguamus, quibus ut testimoniis et ornamentis uti Stoicorum erat: sed fuisse etiam stoicos senarios tenendum est. quodsi Plutarchum Philonem Galenum permulta Stoica transscripsisse constat, fieri potest, ut etiam versibus usi sint philosophis. at qualia fuisse poemata ista opinabimur? iambos instar Semonideorum aut carminum Gregorii Nazianzeni? coronas sententiarum, quales Phocylidae Theognidis Catonis elegiae sunt, aut Syri Menandrique monosticha? nihil definiam in tanta et copia et licentia formarum qua saeculum tertium in litterarum Graecarum historia eminet. quo etiam maxime memorabile scribendi genus natum est, quod pedestrem cum poetica

oratione permiscet, satiram dico Menippeam. hic *κυνικὸς τρόπος* ut ferax erat parodiarum, a quibus ne Chrysippus quidem abstinebat, ita multa ferebat necessario carmina, quae cum exemplis epicis tragicis comicis facile confunderentur. nobis fatendum est, adhuc prorsus ignorari genuinam satirae illius formam; quin praeter Menippum et Meleagrum qui eadem usus sit nemo traditur. sed Aristonis Stoici, quem Eratosthenes audivit et admiratus est, eloquentiam prope afuisse a cynico lepore, quorum austeram disciplinam idem profitebatur, nuper clarius etiam quam ante demonstratum est. nunc audi Clementem Strom. II 406 *ὅθεν, ὡς ἔλεγεν Ἀρίστων, πρὸς ὅλον τὸ τετράχορδον, ἡδονὴν λύπην φόβον ἐπιθυμίαν πολλῆς δεῖ τῆς ἀσκήσεως καὶ μάχης.*

οὗτοι γὰρ οὗτοι καὶ διὰ σπλάγχνων ἔσω
χωροῦσι καὶ κυκῶσιν ἀνθρώπων κέαρ.

habes me iudice satirae Menippeae fragmentum. nam qui in pedestribus distingui potest casu natus est senarius, omnia versibus includere frustra temptatum est, versus ipsos Nauckius non recepit, quod laudo, sed eodem iure ea quae supra notavi procul habenda erant, ac vereor ne in iis potissimum quae e Plutarcho et Stobaeo inter tragica feruntur, compluria huius generis insint.

Iudaeos Alexandrinos tragicis comicisque supposuisse quibus doctrinam suam fulcirent testimonia omnes sciunt. quod fecerunt non ut veritatem religionis demonstrarent, sed quia philosophica Graecorum scripta talibus ornamentis gratiam quaerere videbant. eidem heroum suorum fata et epicis et tragicis carminibus celebrare temptabant. itaque ne Graecos quidem aut a fraudibus aut a scholastica tragoediae imitatione abstinuisse per se probabile est. quam per omnia litterarum genera grassatam esse testimonio sunt interpolationes et libri claris scriptoribus suppositi. notata a veteribus criticis capita legimus vel in Herodoto et Thucydide, spurios Platonis dialogos, spurias Demadis orationes non nos demum coarguimus. atque in Euripidis potissimum tragoediis inesse haud pauca quae improba imitatorum sedulitas procreavit plerique consentiunt; quamquam multo plura per severam grammatices Alexandrinae censuram sublata esse consentaneum est. haec qui consideraverit et litterarum fata per aetatem eam quae nunc recte Hellenistica vocatur cognoverit, satis esse responsum concedet Nauckio, qui ad Euripidis personati fgm. 983 ex me quaesivit, quem tandem crederem ea composuisse, quae Aristarchi temporibus puer, ut propter pigritiam castigaretur, describere iussus est. nam cum iis qui talia ab Euripide profecta esse adseverare pergunt, non litigo: Nauckium si a partibus suis stare dicunt, impudenter mentiuntur. etiam melius autem Nauckio respondebo monstratis duabus eiusdem farinae eclogis, quas in adespotis collocavit, 547, 458, et omni vi ac violentia emendare conatus est. alteri adscripsit Stobaeus *τραγικὸν ἐπεισόδιον*, de quo conferenda quae Meinekius in praefatione voluminis quarti Comicorum disputavit, alterum doctus grammaticus qui veterem in Oedipum Coloneum scripsit commentarium his verbis inducit *ἔοικεν τὸ τῆς ἱστορίας ἥκειν ἐπὶ πολλούς, ὡς καὶ παρά τινι αὐτὰ κεκτῆσθαι* (*μεταβεβλῆσθαι* Nauckius) *πρὸς τὸ γελοιότερον διὰ τούτων.* criticorum conamina irrita sunt, sive ad tragoediam sive ad satyros sive ad comoediam sive ad Byzantinos has eclogas referunt, ac frustra modo hoc modo illo nomine scriptorem versuum donarunt, qui olim sine nomine circumlati sunt. maneant anonyma; discat in his quoque ars critica, melius esse intellegere quam emendare, nolit aurum e carbonibus facere velle, contenta sit genuinam Atheniensium artem a scholastica imitatione distinguere. postquam grammaticorum cura veterum poetarum editiones paravit, haud facile imitatorum fraudes in ipsa poetarum volumina se insinuabant. tamen obscenam eclogam, quae Menandri nomen mentiretur, *Ἀνεχόμενον*, vertisse traditur Apuleius (Anth. Lat. 712 Riesii). et Alexandriae a puero descriptam esse *ῥῆσιν τραγικήν* quae Euripidis nomen mentiretur, vixdum parata Aristophanis editione, nemo debet mirari. summus vir talia non recepit: nostrum est arcere profana, ut arcebat ille, et magni sane facio, quod fraudium fabricam in aliquot exemplis iam possumus ostendere.

Ad eiusdem Aristophanis artem criticam aestimandam non nihil confert etiam fgm. 281, de quo minus recte iudicavi, cum Antigonum Carystium edebam, qui in Crantoris dicto hunc versum habet *ἐν γῆς φίλης μυχοῖσι κρυφθῆναι καλόν.* eundem licenter mutatum proponit Teles, sed hic ita ut, quicumque nondum evolverit Phoenissas, necesse sit ibi eum legi credat, coniunctum cum iis quos inde Teles sumpsit. iudicabat ita Valckenarius, et Hermannus adeo locum ei in quamvis integra Euripidis oratione quaerebat. quem merito sequi noluerunt critici. at nihil prohibet, quominus Teleti fidem eatenus praebeamus, ut ipse aut quem expressit philosophus et Crantor aequalis Phoenissas legerint interpolatione auctam, quam Aristophanes *οὐδ' ἔγραψεν.* nempe ipsi manibus tenemus Homeri Platonis Euripidis libros et antiquiores et corruptiores editionibus Alexandrinis, per quos quod comparuit, quantum grammatici illi in recensendis veterum libris praestitissent, etiam pluris aestimo quam fragmenta ipsa.

Philosophos etiam suis versibus usos esse vidimus. eadem profecto inveniendi laus, siqua est, scriptoribus aliis concedenda

est. qui fabulam narrant a se inventam et nunc et olim, siquando versibus opus est, ipsi eos comminiscuntur. qui Phalaridis aulam aliquot poetis auxit, cum multis epistulis profecto etiam quattuor senarios pangere valebat (324. 325). Dio orat. 64 fabellam narrat nescio ubi sublectam de Demonassa Cypriorum regina, in qua senarius tumulo eius inscriptus commemoratur. quem quominus in tragoediarum relliquiis collocaret, ne plebeium quidem *ἦμην* Nauckium impedivit. Diogenes Laertius (suo enim nomine appello hominem, quem pertinaci errore Laertium Diogenem appellare saeculum putatur) titulos enumerat Heracliti libro praefixos, inter quos Diodoti hic est *ἀκριβὲς οἰάκισμα πρὸς σταθμὸν βίου* (247). ain tu Diodotum in tragoedia titulum quaesivisse, quem non sapientius commentus est quam qui gnomologio nuper inscripsit „Pharum in vitae mari". tragoedia vero quid tandem eo praeconio laudarat, quod in Heracliti librum Diodotus transtulisse creditur?

Sunt etiam quae fragmenta quidem re vera sint poeseos ex parte nobilissimae, sed non tragicae. iambographis rectius tribuuntur 150, 212, 434, primum quidem recentiori; Timothei Niobae potius quam Sophocleae 373; lyrico, i. e. Simonidi aut Pindaro 377. neque credibile cantico tragico inductum fuisse Herculem his vel Pindaro dignis dactyloepitritis filios obiurgantem quod rogum Oetaeum accendere vererentur (126)

ποῖ μεταστρέφεσθε κακοὶ καὶ ἀνάξιοι σπορᾶς
τᾶς ἐμᾶς, Αἰτωλὰ δ' ἀγάλματα ματρός.

quae ducibus numeris bene restituta esse puto. traditur in Dionis or. 78, 44 *μεταστρέφεσθ' ὦ κακοὶ* et *τῆς ἐμῆς σπορᾶς* (hoc correxit Emperius) *Αἰτωλίδος ἀγάλματα μ.* cum deesset particula adversativa, pulchram adiectivi attractionem recuperavi. nec sine sententiae emolumento *ὦ* delevi; vocativis enim nullus locus est, sed ignavia filiorum eo spectatur, quod se ab officio suo avertunt, et ex ignavia eorum colligitur, non paternum sed impium et Aetolum Deianirae animum eis inesse. item lyrica, sed recentia carmina videntur, quibus Diodorus 37, 30 mirificam in historia disputationem distinxit 129, 130, advocatis etiam paucis tragoediae senariis. *ὦ χρυσέ* alterum incipit et aurum adloqui pergit; *πότνια σοφία, σύ μοι ἄνδανε* alterum: nihil novi horum magis simile quam hymnum Aristotelis *ἀρετὰ πολύμοχθε γένει βροτείῳ*. et auri laudes recentes esse elisa *καὶ* particula ostendi, alterius eclogae metrum et sententiam laborare Nauckius dicit. videntur sane ultima verba in Vaticani libri laciniis non omnia recte lecta esse, sed in primis versibus sententiam argute expressam mutare vereor propterea tantum quia numeros sane ignoro. quis enim aut novit aut nosse potest hodie

dithyrambi novi rem metricam? saltatoriae fabulae clausulam esse dicit is qui tradit fgm. 302 Macrobius: cuius scriptorem quis credet tragoediam veterem evolvisse, ut canticum his sane grandibus numeris et verbis concluderet: *τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα*?

Qui in recensendis nobilissimis scriptis paullulum versatus est, saepe nova fragmenta habita esse haud ignorat quae re vera in servatis libris legebantur, paulo aliter tamen et plerumque rectius scripta. pro incomparabili doctrina Nauckius talia perpauca admisit et 280 a Pappageorgio ad Sophoclis Oedipum, 329 a me ad Euripidis Supplices revocata esse adscripsit ipse. quae mihi quidem certa videntur. non minus certo 322 ad Euripidis Bacch. 13 Ihmius, 348 ad Eur. Iph. Taur. (755) Herwerdenus rettulit, 390 natum esse confusis 175 et 176 perspexit Crusius. 444 Menandri esse Kockianum 720 in Schwartzii scholiis Euripideis, 450 ex Eupolidis Androgynis esse videri in Maassii scholiis Homericis adnotavi, 550 variam lectionem esse versus tertii in Eur. Oenom. 575 ex Nauckii adnotatione sequitur; idem ad 308, *τό τοι χρεὼν οὐκ ἔστι μὴ χρεὼν ποιεῖν* adfert Eur. Herc. 311 *ὅ χρὴ* (fuit olim cum hinc conicerem *τὸ χρή*) *γὰρ οὐδεὶς μὴ χρεὼν θήσει ποτέ* et Eur. Temenid. 733, 3 *τὸ γὰρ χρὴ* (traditur et editur vitiose *χρεών*) *μεῖζον ἢ τὸ μὴ χρεών*. e quibus conflatum videtur; quamquam poterat Euripides idem similiter saepius dicere, qui etiam Bacch. 515 *ὅ τι γὰρ μὴ χρεὼν οὕτοι χρεὼν παθεῖν* habet. 564 *ὀπισθόπους δίκη* Suidas (e Cyrilliano lexico) adfert, quod ex ipso Gregorii Nazianzeni loco, quem Nauckius subscribit, sumptum est: multa enim Gregoriana in istis lexicis, ad quorum stirpem etiam Hesychius pertinet. Gregorius autem adiectivum *ὀπισθόπους* tragoediae debet aut lexico tragico. legitur enim aliquoties in servatis tragoediis. fgm. 146 et 217 Meinekii doctus error creavit. nam illic Romae esse Iovis statuam altera manu orbatam narratur, quem Iovem tragicum appellari. quid hoc ad tragoediam? statua malum perpessa erat, non deus. Epiphanii autem inficetis salibus abuti non licet. Hesychianum *καταλογισθίειη Ἀττικώτερον· ἀλλά σ' αἰδεσθεῖεν οἱ θεοί* emendavi apud Viereckium (*Sermo Graec. senat. et magistr. Rom.* p. 73). eleganti et vetere, sed minime tragica dictione mutare iussit Atticista *καταλογή σοι εἴη* Hellenisticum. fgm. 395 *κακῶν κατάρχεις τήνδε μοῦσαν εἰσάγειν* ad Zethi Amphionem obiurgantis orationem verissime revocavit Porsonus, sed dissentiendum a viro summo, qui cum apud Sextum legeret *λέγοντες τὴν μουσικὴν ἀσύμφωνον εἶναι καὶ „ἀργὴν φίλοινον χρημάτων ἀτημελῆ"*, apud Dionem autem *ἔφη δ' αὐτὸν* (Zethus fratrem) *ἄτοπόν τινα καὶ ἀσύμφορον μοῦσαν εἰσάγειν*, ac paucis interiectis paraphrasi vix obscuratum sequi eundem

qui in Sexto est versum, novum ex pedestri sermone procudere maluit versiculum *μοῦσάν τιν' ἄτοπον εἰσάγεις ἀσύμφορον* (Eur. Antiop. 184), in quo *ἄτοπον* et *ἀσύμφορον* nimis pedestria sunt, quam cothurno vere digna agnoscere haec

κακῶν κατάρχεις τήνδε μοῦσαν εἰσάγων
ἀργὴν φίλοινον χρημάτων ἀτημελῆ.

Adhuc laboravimus ut scoriam a solido magnorum tragicorum auro discerneremus. nunc quae fragmenta ex adespotis satis certo ad dominos suos revocari credo breviter enumerabo. ad Aeschylum unum tantum 470, ad Sophoclem septem 2, 3 (nam huius tantum Epigoni tam nobilis erat ut post Alexandri mortem in scaena ageretur), 7, 148, 358, 469, 387 (hoc propter Ionicum *μοῦνος* Sophocli attribui Comment. gramm. III 26; erantque etiam *μοῦσα καὶ σειρὴν μία* in poetae verbis collocanda), Euripidis multo plura, 4 (Ixionis) 9 (Scyriorum: nam Sophoclis Scyriis longe alia tractata esse evicit Robertus *Bild und Lied* 34), 25, 68, 100, 101 (haec duo Inus), 157 (Andromedae), 187, 389 (Philoctetae), 399 (Augae), 402 (eiusdem), 411 (Erechthei), 414 (Alexandri), denique 152 Euripidi tribuit Etymologicum genuinum. multo plura aut Sophoclis aut Euripidis esse simplici probabilitatis computo efficitur, nec ambigerem in plerisque, si solo sensu fretus talia diiudicare auderem. at unum 499 propter numeros Euripidi vindico. quamquam enim metrum anapaesticum omnino legitime pro dochmio ponitur, neque Nauckio offensioni esse debebat, tamen Euripidi hoc tam familiare est, ut nondum auditis verbis huic tribuere non dubitaturus sim talem carminis formam 2 δ 4 anap. 3 δ. cf. quae exposui Herc. II 212.

Unum ex adespotis cum emendavero ad Euripidea a quibus deflexi redeam, 509

χρόνος αὖ χρόνος ἁ κραταιά τε χρημοσύνα βίου
πόλλ' ἂν εὑρίσκοι σοφὰ μαιομένοις

traditum est in Stobaei Eclogis *ἅμα κραταιᾶ τερμοσύνα*; *χρημοσύνα* repperit Ellendtius, *ἅ τε κραταιά* Nauckius dedit. ego libenter duos glyconeos restitui; fortasse autem *χρόνος δὴ χρ.* praeferendum est. deinde *ἀνευρίσκει* et *ἂν εὑρ.* traditum est. sed praestat multo potentialis modus, praestat etiam simplex verbum. sententiarum enim conexum hunc fere fuisse et condicionale participium demonstrat et praesens tempus "scimus, multa nova repperiri per hominum industriam procedente tempore et cogente inopia: sed hoc (quod modo audiverat chorus) et inauditum est et incredibile".

Ex Euripidis fragmentis nonnulla tollenda sunt. Tzetzae in Lycophronem commentario utinam desinant viri docti aliter uti

quam ut pro Tzetza nominent librum ab illo exscriptum. Qui Pelei res ad Lyc. 175 secundum bibliothecam Apollodoream et varia Pindari scholia narrat. ibi inter schol. Pind. Nem. 4, 81 et 6, 53 leguntur *κατὰ δὲ Εὐριπίδην ὅτι διωκομένη ἡ Θέτις ὑπὸ Πηλέως μετήλλαττεν ἑαυτὴν ὡς ὁ Πρωτεὺς εἰς διαφόρους ἰδέας, ἐκεῖ δὲ* (quod referendum esset ad *Θετίδειον*, nisi solita neglegentia Tzetzae ageret) *κατέσχεν αὐτὴν ἐν σηπίας μορφῇ καὶ ἐμίγη αὐτῇ, ὅθεν καὶ Σηπιὰς χωρίον Μαγνησίας Θετταλικῆς* (I p. 446 Müll.). quae si recipere voluit, integra debebat exscribere Nauckius (fgm. 1093), nam omnia Euripidi tribuisse Tzetzam docent quae ad v. 178 p. 460 proponit *ὁ δὲ Εὐριπίδης ἅπαξ φησὶ μιγῆναι Πηλέα τῇ Θέτιδι ἐν τῇ Σηπιάδι καὶ ἕτεροι σὺν αὐτῷ.* proxime antecedunt excerpta e Ptolemaeo Chenno, quo Tzetzam usum esse constat, et Apollodoro; sed in mediis huius verbis (III 13, 5, 4) stant *ἐμίγη αὐτῇ ἐν εἴδει σηπίας μεταβληθείσῃ* (p. 457 M.). quae ex Euripide afferuntur coniunctim tractanda esse apparet. dicit autem in Euripidis Andromacha Thetis ad Peleum 1265 *ἐλθὼν παλαιᾶς χοιράδος κοῖλον μυχὸν Σηπιάδος ἵζου*. et scholiis adscriptum est *Σηπιὰς τόπος περὶ τὸ σπήλαιον, ὅπου τὴν Θέτιν ἥρπασεν ὁ Πηλεὺς εἰς σηπίαν μεταβληθεῖσαν*. et haec scholia Tzetzae ad manus fuisse dudum exploratum est. idem permulta sumpsit e scholiis Apollonii, et in his ad 1, 542 eadem quae in scholio Andromachae leguntur, ad v. 584 Magnesia Thessalica commemoratur. Thetidem Protei ritu varias formas induisse Pindari scholiasta ad Nem. 3, 60 testimoniis poetarum adstruit. ergo quaecunque tradit, in libris suis habebat Tzetzes, Euripidem cum scholiis solito more confudit, apud complures idem legi ipse profitetur. unum vero ipse confinxit, semel Thetidi concubuisse Pelea, et hoc tradidisse Euripidem. in quem errorem deductus est, cum apud hunc legeret Pelea a Thetide in specum Sepiae revocari, in scholio autem, in sepiae forma deam a mortali compressam esse, quod semel tantum accidisse consentaneum erat.

Fgm. 310 fide nititur scholiastae qui ad Aristophanis versum *κυλίνδετ' εἴσω τόνδε τὸν δυσδαίμονα* adscripsit *ἐκ Βελλεροφόντου Εὐρ.· τὸ δὲ κυλίνδετ' ἀντὶ τοῦ κομίζετε.* 671 Stobaeus e Stheneboea adfert *κομίζετ' εἴσω τήνδε· πιστεύειν δὲ χρὴ γυναικὶ μηδὲν ὅστις εὖ φρονεῖ βροτῶν.* manifestum, opinor, scholiastam confusis, quod proclive erat, nominibus hunc ipsum Stheneboeae versum indicasse.

Aristophanes Nub. 1154 a scholiasta dicitur Peleum imitari, Euripidis, si Ravennatem, Sophoclis, si Venetum sequeris: alterum igitur fragmentum, aut Sophoclis 451 aut Euripidis 623, delendum est. cum vero aliis Aristophanis et scholiorum locis constet, Sophocleam fabulam ab Aristophane saepius expressam esse, Veneti

auctoritatem in scholiis potissimum spectatam, hic quoque sequendam esse colligimus.

Ex Archelao Stobaeus adfert eodem capite 29 et haec *οὐδεὶς γὰρ ὃν ῥᾴθυμος εὐκλεὴς ἀνήρ, ἀλλ' οἱ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐανδρίαν* et haec *οὐκ ἔστιν ὅστις ἡδέως ζητῶν βιοῦν εὔκλειαν εἰσεκτήσατ', ἀλλὰ χρὴ πονεῖν*, quae Nauckius iuxta posuit (237. 238), additis criticorum periculis tollentium quae in altero disticho in sermonem Atticum peccata sunt. quos operam perdidisse censeo, habemus enim eandem sententiam semel ab Euripide semel ab interpolatore pro utriusque ingenio et arte expressam. in eadem fabula bis idem ne bene quidem dixisse credendus esset Euripides. sunt autem haud paucae interpolationes in Stobaei Euripideis deprehensae, quas aliquotiens aliis testimoniis coarguimus, cuius generis est 269, 2

Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν
[καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον]
ἢ σκαιός ἐστιν ἢ καλῶν ἄπειρος ὤν
οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν

omittit absurdum versum Athenaeus 600. quapropter eodem remedio cum alibi usus sum tum uti audeo in Danaae fgm. 326. quo divitiarum vis ita celebratur, ut nobilitas cum egestate coniuncta contemni dicatur, infimae vero originis homines, cum divitias nacti sint, summo in honore haberi

δοῦναι δὲ πᾶς τις μᾶλλον ὀλβίῳ κακῷ
πρόθυμός ἐστιν ἢ πένητι κἀγαθῷ.

quibus a nobilitate ad virtutem scite transitus fit: utrumque Graecos in vocibus *ἀγαθός* et *κακός* sensisse notum est. quid igitur vult quae apud Stobaeum sequitur explicatio *κακὸς δ' ὁ μὴ ἔχων, οἱ δ' ἔχοντες ὄλβιοι*? quod maxime ineptum est, quia utraque vox de eodem homine antea simul dicta erat, et *κακός* et *ὄλβιος*.

913. postquam duos versus e Dionis paraphrasi restitutos apposuit Nauckius, *ἀωρὶ πόντου κύματ' εὐρέος περᾷ* et *σμικραῖσιν αὐτοὺς ἐπιτρέπουσιν ἐλπίσιν* (nam *σμικραῖσιν*, non *σμικραῖς ἑαυτοὺς* dandum esse Br. Keilius Anal. Isocr. 109 certum reddidit), negat versum quaerendum esse in eis quae Dio deinde contra Euripidem disputat *οὔτε γὰρ πίττῃ τὴν ψυχὴν ἐπιτρέπουσιν οὔτε τριδάκτυλον σώζει αὐτοὺς ξύλον πεύκινον, ἀλλὰ ἐπέτρεψαν βεβαίῳ καὶ μεγάλῳ πράγματι, τῇ τύχῃ*. atqui quod eis membris circumdatur, quae per verbum *ἐπιτρέπειν* ad alterum Euripidis versum spectant, Dio ne poterat quidem impugnare, nisi ab Euripide esset dictum, neque salvandi verbo ipse de suo usurus fuisset. et rotundissimus senarius *τριδάκτυλον σώζει σφε πεύκινον ξύλον* tantum non ipse servatus est. novi multa similiter dicta inde ab Homerico *τυτθὸν δὲ διὲκ θανάτοιο φέρονται* et Arateo (quod Romanis poetis exemplo erat) *ὀλίγον δὲ διὰ ξύλον ἀίδ' ἐρύκει*; sed quod digiti numerantur nescio an probet, Euripideum locum in animo fuisse Iuvenali, cum scriberet 12, 57 *i nunc et ventis animam committe dolato confisus ligno, digitis a morte remotus quattuor aut septem, si sit latissima taeda.*

E Palamedis cantico pulchri supersunt dactyloepitriti 588

ἐκάνετ' ἐκάνετε τὰν πάνσοφον, ὦ Δαναοί,
τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μουσᾶν

quos male discribendo obscuravit Nauckius. qui omittere non debebat quae in Philostrati Heroico proxime sequuntur, dicitur enim Protesilaus et haec Euripidis laudasse *καὶ τὰ ἐφεξῆς μᾶλλον, ἐν οἷς φησι καὶ ὅτι πεισθέντες ἀνθρώπῳ δεινῷ καὶ ἀναιδεῖ ταῦτα δράσειαν.*

Item damnum et numeris dactyloepitritis et sententiae inlatum est resecto *ἁρμόζεται* in splendido fgm. 911

Χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ
καὶ τὰ Σειρήνων πτερόεντα πέδιλ' ἁρμόζεται,
βάσομαι δ' εἰς αἰθέριον πόλον ἀρθεὶς
Ζηνὶ προσμείξων·

quae non cantavit homo veris alis instructus, ut volatum auderet mortalibus negatum, Icarus, sed eadem imagine Euripides utitur, quam paene putide carm. 2, 20 Horatius persequitur: poeticis alis in caelum fertur, ad suum deum, aethera, ad cognitionem *τοῦ ὄντος, τοῦ νοῦ*, puri elementi. Sirenes non utuntur pinnatis soleis Mercurii, sed musicae aves sunt, quae v. c. in Isocratis eloquentissimi viri tumulo habitabant; audacter igitur dicit poeta, applicari umeris suis alas, pedibus suis non iam negari pinnatum gradum Sirenum: sursum, sursum ferri animam sentit, in patriam, ad patrem. utinam legere possemus integrum carmen; in qua tragoedia fuerit, scire non multum laboro. ex iis enim est, in quibus non chorus loquitur de rebus fabulosis, sed quod ardente anima sentit poeta medullitus propinat.

Numeris recte distinctis haud raro redarguuntur tam certum quam simplicem in modum criticorum opinationes, qui utinam aures haberent omnes. sed nolo digitis monstrare eos qui *καί* in ultimo senarii loco collocaverunt aut paene ultimam trimetri dactylici catalectici syllabam produxerunt. Aegei 11 dactyloepitriti ita decurrunt

ἔστι καὶ πταίσαντ' ἀρετὰν ἀποδείξασθαι θανάτῳ ∪ ∪ —

Phoenicis ionici 814

φθόνον οὐ σέβω, φθονεῖσθαι δὲ θέλοιμ' ἂν ἐπ' ἐσθλοῖς

in quibus suppressa semel altera metri longa syllaba peritum non latebit. memorabiles sunt iambi paene ad comoediae morem sine pausa continuati, perraro suppressa prima metri syllaba, (quamquam ne ab Aeschylo quidem talia aliena esse docent ex. gr. Agam. 437—87 recte discripti) in Alexandri fragmentis 52 et 53. cecinit haec chorus, postquam Paris bubulcus regulos fratres in certamine vicit, placuitque Euripidi sophistae contra nobilitatem disputare. *inane est nobilitatem laudare velle, nam cum terra mater genus humanum e gremio suo emisit, speciem eandem omnibus dedit, patria demum homines distinxit* (Aethiopem a Syro, Cappadocem a Graeco). *neque quidquam accepimus peculiare, sed nobiles ignobiles eadem stirps sumus: sensim demum per legem et consuetudinem* (*νόμον*) *discrimina facta sunt. vera nobilitas in animo est, et hanc deus tribuit* (aether nimirum, cuius particula corpori terreno insinuatur anima post mortem in elementum suum reditura), *non parentum divitiae.* quapropter (adnecto fgm. 53) *nulla in malis nobilitas, sed in bonis.* cursum iamborum facile sequetur qui versus et audire et legere didicit. *περισσόμυθος ὁ λόγος εὐγένειαν εἰ βρότειον εὐλογήσομεν· τὸ γὰρ πάλαι καὶ πρῶτον ὅτ' ἐγενόμεθ' ὁμοίαν χθὼν ἅπασιν ἐξεπαίδευσεν ὄψιν, διὰ δ' ἔκρινεν ἁ τεκοῦσα γᾶ βροτούς. <οὐδ'> ἴδιον οὐδὲν ἔσχομεν, μία δὲ γονὰ τό τ' εὐγενὲς <πέφυκε> καὶ τὸ δυσγενές· νόμῳ δὲ γαῦρον αὐτὸ κραίνει χρόνος. τὸ φρόνιμον εὐγένεια καὶ τὸ συνετόν· ὁ <δὲ> θεὸς δίδωσιν οὐχ ὁ πλοῦτος — ∪ — . . . . οὐκ ἔστιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια παρ' ἀγαθοῖσι δ' ἀνδρῶν — ∪ —.* litteram nullam mutavi, sed addidi ea quae solito modo significata sunt; praeterea verba *διὰ δ' ἔκρινεν ἁ τεκοῦσα γᾶ βροτούς* post *ἐγενόμεθα* tradita sunt in Stobaei libris.

Similiter decurrunt iambi in Plisthen. 631 *πολὺς δὲ κοσσάβων ἀραγμὸς Κύπριδος προσῳδὸν ἀχεῖ μέλος ἐν δόμοισιν.* sed hic proximum ante catalexin metrum anaclasi distinctum est, quod tragicis valde placuisse saepius observavi. quam anaclasin ne a dialogo tragico aut comico quidem alienam fuisse paucis quae noveram exemplis monstravi in Herc. II 190. nunc cognitum est idem in choliambis sibi indulsisse Herodam. quod perquam memorabile duco: nam non sine veterum iambographorum exemplo hoc fecisse Hipponactis aemulum consentaneum est. exempla haec sunt in metro primo 1, 67 *Γυλλὶ τὰ λευ/κά*, 3, 8 *αἱ ἀστραγάλοι Λάμ/πρισκε*, 4, 20 *τῆς Ὑγιεί/ης*, possis etiam elisa *αι* ita metiri 3, 81 *παῦσαι ἱκαναί/*, nam elidit Herodas hanc diphthongum in verbi terminationibus non solum longioribus, sed etiam in *κεῖσαι* (6, 5).

sed fortasse synaloepha magis probabilis est, quae in nominali terminatione adiectivi nondum certe restituti 6, 99 necessaria est. unum etiam anaclasis exemplum in altero metro est 3, 68 *δρι/μὺσκύλος ἡ.* ac de hoc quidem dubitari posse concedo. etsi in septem iambis unicum legi multo minus mirum, quam quod in undecim Aristophanis comoediis item unum legitur [1]). Herodae autem metricam artem pro arbitrio admissis productionibus corrumpi non magis tolerandum est, quam quod et declinationis et coniugationis et syntaxeos regulas susque deque habuisse fingitur. unius Buecheleri vestigia premenda sunt: sic itur ad verum.

Sed de Heroda verba facere nolo, nec multa nova possem dicere. malo e Petri apostoli et Evangelio et Revelatione, quae scripta his ipsis mensibus e sepulcretis Aegyptiis resurrexerunt, pauca et pusilla pleraque menda tollere. quae scripta mihi praesto sunt ab Harnackio edita: multa in chartis rectius scripta esse consentaneum est, quo nihil ab eorum laude detrahitur qui primi nova scripta et legerunt et descripserunt et ad auctorem recte rettulerunt. dolendum vero quod de litteratura chartarum nihil edocti sumus; vitia scribae Aegyptii pleraque recte iam sublata sunt, nec debebant tamen *ἱστήκεσαν εὑρήθη* similia ipsis scriptoribus imputari.

In Evangelii versu primo editorum coniecturis praestant quae tradita sunt. *τῶν δὲ Ἰουδαίων οὐδεὶς ἐνίψατο τὰς χεῖρας οὐδὲ Ἡρώδης οὐδ' εἷς τῶν κριτῶν αὐτοῦ, καὶ βουληθέντων νίψασθαι ἀνέστη Πιλᾶτος.* Pilatus, cui hic Petrus favet, manus suas lavat et ubi Iudaeos videt crimen iniustae damnationis abluere velle, surgit et iudices dimittit. v. 3 *εἰδὼς ὅτι σταυρώσειν αὐτὸν μέλλουσιν*: *σταυρίσκειν* lectum est. v. 6 clamant ei qui dominum ducunt *ἄρωμεν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ*: *εὕρωμεν* lectum est. v. 26 *τετρυμένοι κατὰ διάνοιαν ἐκρυβόμεθα*: *τετρωμένοι*. v. 27 *ἐπὶ δὲ τούτοις πᾶσιν ἀνεστένομεν*: *ἐνεστ.* v. 28 *συναχθέντες δὲ οἱ γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι καὶ πρεσβύτεροι πρὸς ἀλλήλους ἀκούσαντες, ὅτι ὁ λαὸς γογγύζει καὶ κόπτεται τὰ στήθη λέγοντες ὅτι "ἐπὶ* (*εἰ* cod.) *τῷ θανάτῳ αὐτοῦ ταῦτα τὰ μέγιστα σημεῖα γέγονεν, ἴδετε δ[τι]πόσον δίκαιός ἐστιν",*

1) Si tamen unus est: nam talia cum crederentur vitiosa, et olim et nunc correcturis nimis facile obscurabantur. incidi nuper in Vesp. 902, qui versus ab Alexandrinis lectus est *ποῦ δ' ὁ διώ/κων*, et futtili artificio *ποῦ δ' οὐ δ.* olim, recenti memoria compluria substituta sunt, quae Aristophanes sane poterat scribere. sed nihil aptius aut simplicius quam quod traditum est. quid si toleramus anaclasin?

ἐφοβήθησαν [οἱ πρεσβύτεροι]. v. 40 custodes e sepulcro Christi procedentes vident duos viros qui tertium sustinent, καὶ τῶν μὲν δύο τὴν κεφαλὴν χωροῦσαν μέχρι τοῦ οὐρανοῦ, τὴν δὲ <τοῦ> χειραγωγουμένου (hoc in charta esse spondeo; lectum est χεῖρα τῷ τουμενου) ὑπ' αὐτῶν ὑπερβαίνουσαν τοὺς οὐρανούς. v. 47 custodes iubendi sunt μηδενὶ εἰπεῖν ἃ εἶδον. quod traditum est μηδέν versu 49 non potest defendi. v. 50 Μαριὰμ ἡ Μαγδαληνὴ, μαθήτρια τοῦ κυρίου, <ἡ> φοβουμένη τοὺς Ἰουδαίους . . . . οὐκ ἐποίησεν ἐπὶ τῷ μνήματι τοῦ κυρίου ἃ εἰώθεσαν (εἰώθασιν?) ποιεῖν αἱ γυναῖκες ἐπὶ τοῖς ἀποθνήσκουσι [καὶ] τοῖς ἀγαπωμένοις αὐταῖς, λαβοῦσα μεθ' ἑαυτῆς τὰς φίλας ἦλθε. v. 56 ἴδετε τὸν τόπον, ἔνθα ἔκειτο, ὅτι οὐκ <ἔν>εστι. Apoca]. 2 υἱοὶ τῆς ἀνομίας: ἀπολείας cod. v. 7 φωτεινὸν ἦν αὐτῶν τὸ ἔνδυμα ὁποῖον οὐδέποτε ὀφθαλμὸς ἀνθρώπου [εἶδε . οὐδὲ γὰ]ρ στόμα δύναται ἐξηγήσασθαι ἢ καρδία [χωρῆσα]ι τὴν δόξαν. 9 συνεκέκρατο δὲ τὸ ἐρυθρὸν αὐτῶν <τῷ> λευκῷ 10 ὡσπερεὶ στέφανος: ὥσπερ εἷς στέφανος. v. 17 οἱ δὲ οἰκήτορες: διοικήτ. v. 20 οὗτός ἐστιν ὁ τόπος τῶν ἀρχηγῶν ὑμῶν, τῶν δικαίων ἀνθρώπων. lectum est ἀρχέρων; ἀρχιερεῖς vereor ut multos Petrus in beatas sedes recepturus fuerit; quod praeferrem ἀδελφῶν (v. 3) a litteris traditis longius distat. 21 οἱ κολάζοντες ἄγγελοι σκοτεινὸν εἶχον <τὸ ἔνδυμα> αὐτῶν, ἐνδεδυμένοι κατὰ τὸν ἀέρα τοῦ τόπου. supplementum e versu 17 arcessivi; praeterea ἐνδεδυμένα traditur. qui v. 23 describuntur e linguis suis supra ignem pendentes dicuntur esse ei qui viae iustitiae male dixerunt. sed eidem peccatores v. 28 labia sua mordent coniuncti cum falsis testibus linguas mordentibus. unde colligitur v. 22, ex alia fortasse recensione, male intrusum esse: ac multo melius lacus inferorum v. 23 primus describitur.

Exultavi hac inferorum imagine primum collustrata, quae inter Christianas antiquissima legentibus et Dantis et Orcagnae memoriam suscitat. quamquam horrorem numquam prorsus vincere possum quo crudelitas et inhumanitas me afficit. quanto magis et humane et pie fecit Homerus ac vel Orphicus ille doctor, qui primus in orco peccatores fecit punitos. iuvat ut cum Dante Homerum, ita cum Orcagna Polygnotum componere, cuius Necyiam prorsus egregie Robertus nuper restituit. haec vera est Graecorum pietas et deo et homine digna sentientium. quare cum vere Graecis etiam nunc sentire possumus, quod me fateor ne cum Dantis quidem inferis posse, quibus Paradisum longe praefero. nihilo tamen secius Graeca ingenia etiam Petri inferos aut pinxerunt aut adumbrarunt. Orphicos auctores dicit Harnackius; ego tam longe haec fuisse quaesita non credo. fere eisdem temporibus

quibus hic Petrus etiam Plutarchus inferorum descriptiones complures dedit, et in dialogo, quem de sera numinis vindicta appellare consuevimus, et in eo qui est de genio Socratis (22), ubi beatorum sedes maxime describuntur. possunt alia quoque conferri. haec ille hominibus scribebat elegantioribus; multa similia a philosophis aut certe scriptoribus philosophia, Stoica maxime et Pythagorea, imbutis ad vulgi gustum conformata tunc temporis per ora et manus totius populi volitasse mihi certe persuasum est. quippe vix ullos habemus aut novimus illorum saeculorum libros plebi scriptos a plebe lectos. quo effectum est, ut Iudaica et Christiana multo magis distare videantur a Graecis, quam re vera distabant aut distare poterant. nam populus idem erat, eisdem moribus, eadem vita, eodem melioris vitae, puriorum morum desiderio, eadem denique superstitione. quapropter neque sine Graecis Christianae, neque sine Christianis Graecae litterae recte aut intellegi aut aestimari possunt. hoc mementote, commilitones.

Dabam Id. Ianuar.

I. SCHOLAE ORDINIS THEOLOGORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

AUGUSTUS WIESINGER, Dr., *Seminarii regii catechetici exercitationes* die Merc. h. II—III; *Exegetici, in quo selectos Nov. Test. locos explicandos* proponet, die Lun. h. VI—VIII moderabitur. Privatim *ep. ad Rom.* quat. dd. h. IX—X interpretabitur; *Theologiam pract.* quat. dd. h. X—XI tradet.

HERMANNUS SCHULTZ, Dr., privatim *Theologiae dogmaticae partem II* quinquies per hebdomadem docebit hora XII; *Psalmos selectos* trinis per hebdomadem scholis interpretabitur hora X; publice *Seminarii regii exercitationes dogmaticas* die Veneris hora VI, nec non *exercitationes homileticas* die Saturni hora IX moderari perget.

KAROLUS KNOKE, Dr., privatim *De fide intra ecclesiam evangelicam propaganda et confirmanda* ternis scholis h. V disseret; *Encyclopaediam studiorum theologicorum* ternis scholis h. XII docebit; publice *Historiam hymnorum ecclesiasticorum* die Lunae h. V narrabit; *Exercitationes Seminarii homiletici* die Sat. h. IX—XI, *liturgici* h. IX et XI, *catechetici* h. II moderabitur.

